

Ecclesiæ ad annum usque 1179 quo ex abbate Ignacio, invitum ad matris Ecclesiæ Clarævallensis clarum administrandum admovetur. Scriptis elegantes Epistolæ de diversis argumentis, quas mss. in bibliotheca Sancti Germani Parisiensis a monacho Transmundo collectas vidi, impressasque habet Bertrandus Tissier tome III, pag. 264, *Bibliothecæ Veterum Patrum Ordinis Cisterciensis*. Hic judex apostolicus una cum abbatore Cisterciæ inter Grandimontenses dissidentes mittitur, quorum clericos seu sacerdotes ex propriis dominibus ab insolentibus laicis fratribus pulsos, apud Claramvallem grataanter accepit. Functus iteum legatione ad Henricum imperatorem. Tandem cum ex officio Ecclesiæ ordinis sui visitaret, Fusniaci extremum spiritum exhalat, quarto Kalendas Decembbris, anno 1186, quem sanctitatis opinione celebrem emigrasse, tradit Chronicon Antissiodorensse. Delatus ad Claramvallem in primo sancti Bernardi conditorio seu loculo, inter Gerardum communis cenotaphio ita inscripto reconditur: *Sub hac cellula lapidea jacent dominus Gerardus martyr egregius, sextus Clarævallis abbas: et dominus Petrus, octarus, miraculus clarus, cuius Vita in volumine beati Bernardi habetur. Agunt de Petro Clarævallis abbatore Cæsarius in opere De miraculis sui temporis; et abbas Conradus in Exordio Magno Cisterciensi, quos aetas si plura cupis. Hæc fratres Sammarthani in Gallia Christiana, tomo IV, pag. 256, in Abbatibus Clarævallensibus.*

B. PETRI EPISTOLÆ.

(Dom TISSIER. *Bibliotheca Patrum Cisterc.*, tom. III, pag. 264.)

I.

Ad Alexandrum III papam. Queritur, a sæcularibus vexari ordinem Cisterc. litibus, direptione bonorum, etc. et opem pontificis adversus hæc mala implorat.

Crescit diei malitia, etc. Vide inter variorum epistolæ ad Alexandrum III, post ipsius Regesta, Panologiae, t. CC.

II.

Ad eundem. — Gratias agit pontifici pro collatis beneficiis, præsertim cenobio Balernensi (quod est de linea Clarævallis) cuius inchoatum judicium adversus iniquos celeriter terminari exoptat.

Quid facimus, pie Pater, etc. Vide ubi supra.

III.

Ad cancellerium.—Commendat ei Heduensem episcopum a suis ad sedem apostolicam appellatum.

Non est timendum de importunitate contemptus, in quos porrigitur de pietate contutitus, quia nunquam importune charitas petitur, cui semper in promptu est abundantius concedere, quam rogetur. Hæc est enim quæ in Apostolo et apostolicis viris, quales vos esse non improbe dixerim, non solum impedit, sed et superimpeditur. Hæc est, quæ cum scandalizatis uritur, cum infirmantibus inflammat (II Cor. xi). Hæc denique quæ nobis apud vos ex præcedentium contemplatione sanctorum spem bonam et in reliquum pollicetur. Ex ea igitur est, quod præsidia vestra pro nostris non solum necessitatibus, sed et necessitudinibus requirentes, causam vobis nostri Heduensis episc. commendamus, cui cum ædificet et bonorum religio famam, et religionis bonitas conscientiam, peperit ei virtus æmulos, cum non daret malignitas inimicos. Qui-dam namquæ de domesticis suis ad insipientiam sibi contra stimulum calcitrantes, nuper aduersus eum exere calceum, et celebris innocentiae virum ad sedem apostolicam provocarunt. Improbi nam-

A que homines, et jurgiorum scandalis assueti, no-sciunt omittere, ne priscae consuetudini pareant, quod post antecessorum inquietiones et lites, in hujus quoque perturbationes insurgant. Hujus itaque vobis et simplicitatem et justitiam commen-dantes rogamus, et petimus, ut status ejus, qui ad-versæ malignitatis flatibus quatitur, benignitatis ve-stræ robore fulciatur.

IV.

Ad Moguntinum archiepiscopum.—Ejus virtutes extollit, deinde cœnobium Eberbacense ejusque abbatem illi commendat.

Post acceptam de antiqua hostilitate victorianam, qua in manibus vestris sancta mater Ecclesia de-victo schismate triumphavit, post exploratæ fidei B laboriosos agones, quibus per vos imperii virtus, et gloria imperatoriæ majestatis enituit, non defuit vobis angelus Satanæ qui malitiæ suæ colaphis caedet et triumphantem, ne vel magnitudo vos tantæ operationis extolleret, vel felicium prosperitatis continua successuum patientiæ vestræ meritum non monstraret. Audivit, et lætata est Sion, ea quæ Il-dei vestræ integritate fecistis. Audivimus, et compassi sumus, ea quæ ex aliena perfidia tolerasti, gratias agentes ci, qui vos pro augmento glorie vestræ et incursibus tentationis exposuit, et ten-tari intolerabiliter non permisit. Liberatum ergo vos de manibus impiorum, lætis quidem rumoribus auribus lætissimis audientes, non cessamus orare pro vobis, et gratias agere, ut Dominus Deus noster æternam vobis gloriam pro publicæ pacis admini-stratione retribuat, et sudores patientiæ vestræ manu placidæ consolationis absterget. Et quoniam expectationi filiorum nostrorum de Eberbac gratia vos divina restituit, eos et domum ipsam, quæ ha-cetenus sub umbra nominis vestri servata est, et in omnibus prosperata, multo magis nunc vestra, quæsumus, præsentia soveat, et lædi vel turbari in ali-quo non permittat. Crescat erga illam gratia, quæsum-

a volitis, cum discederetis acceperat, cuius utique status in hoc potissimum vestri redditus opportunitate dirigitur, si velut misericordia novis miserationibus cumuletur. Specialiter autem charissimum fratre nostrum, vestrum vero devotissimum filium, A. abbatem ejusdem loci, qui domino G. exinde redeunti successit, vestrae benevolentiae commendamus, rogantes per mansuetudinem Jesu Christi, ut eum tanquam viscera nostra refoveatis in Domino, scientes procul dubio, quod nobis et universo ordini exhibitum reputabitur, quidquid ei pacis atque solatii vestrae charitatis munere conferetur. Si quis autem in suggillationem ipsius aliquid vobis sinistri suggesterit, mentiatur potius iniqüitas sibi, et os loquenter iniqua vestris redargutionibus obruatur.

V.

Ad abbatem Cisterciensem.—Mortem abbatis Trium Fontium (1) a pessimo quodam interempti nuntiat.

Perfusus amaritudine spiritus, et tactus dolore cordis intrinsecus, quid dicam vobis, Pater, vel quid faciam, nescio, afflictione valida et miseria saturatus. Vos autem ex his quæ sribentur attendite et videte, si est dolor similis, sicut dolor meus (*Thren.* 1, 12). Obductam namque præteriti vulneris cicatricem scidit muper ictus acerbior : ut qui parricidalia dudum funera in Patris nece desleveram, eadem cogar et nunc in Clarævallis primogenito deplorare. Ad maiorem vero mearum miseriarum cumulum uterque quodammodo inter manus meas extinctus est, uterque, me præsente, peremptus : ut gladius doloris hujus eſ crudelius orbati senis animam pertransiret, quo me miserum feriret cominus, et pressius e vicino confoderet. Accidit enim ante paucos hos dies, ut in domo Trium Fontium, quæ prima est in filiabus nostris, visitationis ageremus officium; et ecce abbas ejusdem loci sacrarium ecclesie, ubi altare B. Bernardi nuper crexerat, peculiarem orationem solito celebraturus ingreditur, quatenus post hæc missarum solemnitatibus celebratis devotior nobis et negotiis instantibus reddetur. Cumque ibi moram faceret, et cum angelis Dei assisteret coram Domino, adfuit etiam inter eos Satan, permisus in eum extendere manum suam : ut ille innocentissimus Pater ibi reciparet mortem, ubi vitæ requirebat auctorem. Ingressus est namque post eum vir Belial nomine Simon, qui clauso ostio ut occideret in abscondito, Patrem suum prædictum abbatem vibrata in caput ejus acie securis aggreditur; nec prius a vultus et verticis concione destitit, quam ille non iam miser, sed adhuc miserabilis Pater laureatus suo sanguine spiritum in ejus quem orabat manibus exspiraret. Post hæc una hora transacta abiit crudelissimus parricida, et missam celebrare non timuit; ut velamentum sceleris devotione sibi ascisceret sacerdotii. Diu enim præ tumultu lugentium et concurrentium

A monachorum ignoratus parricida delituit : quamvis vox sanguinis sine intermissione fluentis virum sanguinum, quoties feretro cominus accessisset, stillicidial quodam testimonio demonstraret. Uude postmodum pro his et aliis quibusdam conjecturalibus signis ad rationem positus, reum se patrat facinoris constitutus: dignus quidem qui nullam consequatur veniam, qui nullam in eo reperit mortis causam. Et ecce nunc, Pater optime, captus et catenatus tenetur in vinculis : pro quo vobis instantissime supplicamus, ut præfixa die consilio, et habita deliberatione cum fratribus, talis in eum definiatur pena, quod similis præsumptionis debeat finiri materia.

B

VI.

Ad conventum Trium-Fontium.—Monet conventum illum, ut diligenter servent homicidam, nec fame enecent.

Quibus est cor unum, et anima una in Domino, consequens est, cætera quoque fore communia, quæ sub certa lege incommutabilis æquitatis, vel gratuita benignitas sortis melioris indulserit, vel tristis illatio casus asperioris infligit. Probat hoc in dolore vulneris vestri Patrum ordinis immoderata compassio, in quorum pectora mœroris participatione transfunditur, quidquid illud est, quo pro recentis enormitate facinoris vestra fraternitas contristatur. Sentiunt, sentiunt ad se pertinere pro virili portione, quod plangitis ; quia quod vos urit singularitate discriminis, in illis succedit affinitas charitatis. Suadent autem, et a vobis cupiunt, ut jam tandem doloris hujus consolatione suscep actus vestros provida circumspectione valletis, talesque vos exhibeatis in posterum, quod infortunii præsentis acerbitas, nou tam præteriorum pena neglectuum, quam subsequentium æstimetur custodia meritorum. Porro de illo miserabili parricida definito consilio statuerunt, ut quamvis non solum præsentia, sed memoria quoque ejus horrorem pariter renovet et dolorem, eum tamen pro majori scandalo devitando usque ad capitulum sub disticta faciatis custodia conservari, pane tantummodo et aqua vitam miseri sustentantes, excepto quod ei tribus diebus hebdomadae pulmentum aliquod vestra poterit humanitas erogare. Cavendum est enim et nobis et vobis, ut euni volumus ne de vinculis nostris effugiat, hunc in manibus nostris famis violentia non extinguat. Vide et ergo, ne contemnatis unum ex his duobus : quia quod ordinis decrevit auctoritas, vestra debet omnino religiositas ænu lari. Quod autem superagendum est negotiis vestris, ecce nos domi sumus, parati ad omne subsidium consolationis et pacis, quando consilii tempus venerit coram vobis.

D

VII.

Ad abbatem Cariloci.—Mercatori, qui se in negotio-

(1) B. Gerardi Ignaci paulo ante occisi.

tione pecoris dicebat circumventum, reddi quod justum fuerit, præcipit.

Non parvus in charitate profectus ostenditur, cum fraternali pacis lucrum peculiariis quæstibus antefertur. Est enim, ut ait Apostolus, *quæstus magnus pietas cum sufficientia* (*I Tim. vi*), cui nos potissimum oportet intendere, qui terrena credimus pro cœlestibus dimisisse. Unde quoniam ille in negotiatione pecoris, quod a fratribus vestris emerat, ad summam fere trecentorum solidorum se asserit circumventum; volumus ut discretio vestra rem diligenter inquirat, et, si verum esse compererit quod asseritur, damnum prædicti N. compensatio ne rationabili moderetur. Sic enim et hic glorificabitur Deus; cui acceptabile sacrificium in ara cordis incenditur, cum terrenæ cupiditatis arvina charitatis ignibus adoletur.

VIII.

Ad Simonem Montisacutum.—Hortatur illum instare operibus pietatis erga proximos.

Operantem in vobis gratiam Dei nostri, quam velut olivam fructiferam in pectore vestro plantavit Omnipotens, gaudenter inspicimus et suspicimus reverenter; scientes, quod nunquam se in bonæ operationis ramos tam late diffunderet, nisi eam superni roris irriguum in ipso de quo pullulat charitatis cespite secundaret. Huic ergo totis in Christo congaudentes affectibus, judges ei profectus et fructus uberes imprecamur; ut ita nimirum per salutiferas actiones erumpat indesinenter in pullicum, quod indesciens capiat in intimis incremendum. Capiet autem, si erogare non desinat; quia oleum pietatis et miserationis unguentum quanto copiosius in fraternalis necessitates effunditur, tanto donis potioribus augmentatur. Nescit enim subjacere gratia divina defectibus: sed sua potius attenuazione pinguescens, inde reparatur ad lucrum, unde videbatur incurrisse dispendium. Instate igitur, sicut et facitis, operibus pietatis, ut et volis acquiratis pro meritorum retributione coronam: et robis de salute vestra perennem faciatis compicere lætitiam.

IX.

Ad Vintonensem episcopum.—Ait se in quodam negotio regem non inkorrasse, sed ordinis purituti consuluisse, adversus falsum fratrem: et domum Mortuimaris commendat.

Susceptis cum gratiarum actione litteris quas misistis, ad placandum regis (2) animum nuntios et scripta dirigimus; sperantes, quod si rei gestæ dignoverit puritatem, serenabitur clementia vultus ejus: et convertet ad misericordiam, quod disponebat ad iram. Vos quoque ne ignorata veritate dubia pro certis accipere debeatis; credite potius nobis, sidem si placet fidelissimo testimonio commendantes, quod quidquid de illo factum est et statulum, necessitas egit juris, et sinceritas aqui-

A tatis: nec fuit ibi consideratio prava, quæ regis honorificentiae derogaret: sed simplex et opportuna provisio, ne puritas Ordinis, nomenque personæ ignominia crescente vilesceret. Quod autem captum se asserit et velut in carcere constitutum, viderit ipse quid dicat; ne forte hoc magis pro carcere deputet, quod non permittitur circuire terram et perambulare eam, ut vadens loquatur adversus fratres suos, et contra filios matris suæ ponat scandalum. Aures ergo vestras vanis amodo suggestib; obstruentes, agite, quæsumus, et apud Dominum regem state pro nobis; ut non contineat in ira misericordias suas, nec habeat, se judice, reos, quos sinceritas probat inculpatæ actionis innoxios. Domum vero Mortuimaris consueta pietate respi- B ciat, ne et ipsa loco supplicii luat, quod ad instar et consuetudinem vivi maris carnem mortuam non retentat.

X.

Ad abbatem de Vallibus.—Queritur librum quem commodaverat, pessum datum stillicidio fuisse, et noctu restitutum, ne pateret detrimentum.

Gravis jactura est, et pluribus onusta dispendiis, cum eatenus damnum rei corporalis incurritur, ut et charitatis simplicitas deludatur. Quod ideo dicimus, quia librum quem remisistis nobis nimio negligenti pessum datum, et stillicidii alluvione coniplatum, cum incaute servassetis, cautissime remisistis: procurante videlicet portatore, ut eum noctu reddebet, et ipse antelucanus in crastinum causa nondum cognita pertransiret. Quasi non sufficeret, quod injuriam damni dati serotinus hospes oculuit, nisi denuo confidentiam nostram fuga redderet improvise festinationis illusam. Quo autem adhuc illi alium a nobis accipere librum, quibus priorem dimiserat sub tali ludificatione confusum? Licet ergo pro illa, quæ omnia sustinet, charitate, præteritam ad præscens dissimilem offendam; similia tamen a simili formidantes, librum alium quem habetis ex nostris, confessim nobis volumus resignari: scientes in se potius retrorquere periculum, qui experientia præcedentis incommodi, futuri non declinat infortunia detimenti.

XI.

D Ad reginam Tarasiam.—Laudat reginam, maxime ob liberalitatem in pauperes, et in ordinem.

Pervenit ad nos ea quæ misistis pagina litterarum, quæ et eximiæ devotionis erat plena dulcedine, et regiæ rutilabat fidei claritate. Liquido namque nobis illarum tenore innotuit, quod cum præstos vobis de honore principali sublimitas, mentis multo magis humilitas vos honorat, quæ in serenis-simo corde vestro mundanæ potentie fastum repri- mit, dum illud in ambitum beatitudinis cœlestis at-tollit. Hinc est quod præter morem cœterarum no-stri temporis seminarum, in pauperibus Christi Christianam non erubescitis pauperalem: dum il-

(2) Regem Angliae hic intellige.

lorum suffragia devotissime queritis, quos ipsa A magis vestro suffragio sustentatis. Et unde tantus tenor humilitatis in virgine, nisi de apore et imitatione illius, qui se ipsum exinanivit, nasci dignatus ex virgine? Nunc ergo, Domine Iesu Christe, seminatur pietatis humilisque consilii, accipe seminum fructus, quo in Tharasia seminasti. Vos autem excellentissima domina, quam supernus Dominus tanta benedictione praevenit, ut prius didiceritis cœlos amare quam terras, agite quod agitis, diligite quod amatis: ut, post præsentis gloriae floridum principatum, corruptibilem regni hujus coronam incorrupto diademate commutetis. Pauperes vero fratres nostros, imo ex vestra familiaritate jam divites, magnificentiae vestrae, etiam cum non oporetur, commendamus, quatenus et nos circa illos paternæ sollicitudinæ compromeimus affectum, et vobis merces operis geminetur, si quod ultronea liberalitate facitis, commonitionis quoque nostræ obedientia faciat.

XII.

Ad regem Portugalæ. — Regis humilitatem, cuius præventus litteris fuerat, commendat, ac in Ordinem charitatem: acceptatque cœnobium de Castineria sibi ab eodem rege oblatum.

Piæ dignationis vestrae gratiam, qua nos regiæ salutationis alloquio prævenistis, obviis brachiis pronæ humilitatis amplectimur; gratias agentes Deo, qui sic vos fecit gloria terrenæ dignitatis excelsum, ut magis amore cœlestium humilitatis vos fecerit apice gloriosum. Sic enim humiliiter, sic benigne vestra se nobis gloria in litteris quas misistis insinuat: ut nullum potius videantur sonare, quam principem: nisi quod ille vere est eminentissimus principatus, qui Christi fide cernitur et humilitate subnixus. Jam vero quas vobis litteras redhibere poterimus, qui paupertatem fratrum nostrorum pauperem esse non sinitis, quam continuæ beneficentiae donis et protensis locorum finibus ampliatis? Intende, quæsumus, Christe Iesu, et hæc sancta opera regiæ hujus pietatis accepta: ut qui pauperibus tuis liberam reddit hujus sæculi sollicitudinem, per enrem cum eis habeat in domo Patris D tui tuo munere mansionem. Nos quoque pro modulo nostro, piissime princeps, benevolentiae vestrae divitias venerantes, oblationem monasterii de Castineria, quod piæ religionis amore in ordinis nostri titulum transcribere cogitastis, gratauerit accipimus: promptam gerentes in Domino voluntatem, ut cum abbas loci venerit, subventionem a nobis et opem recipiat congruentem. Quod autem a. i. orationum pertinet suffragia quæ petistis, nunquid potestis bonorum nostrorum non esse participes, quibus in tantum sumus pro tanta benevolentia debitores?

XIII.

Conventus Clarævallis, ad papam Alexandrum. —

A Orat conventus pontificem, ne suo abbate Henrico, qui ad Tolosanum episcopatum quererebatur, destinatur. Discipulorum Christi exemplo ducimur, etc. Vide in *Alexandro III, ubi supra.*

XIV.

Conventus Clarævallis, ad regem Francorum. — Orat regem, ne permittat abbati suum sibi auferri, et Tolosanum episcopum constitui.

Amplissimos regiæ dilectionis affectus, quos ad universas Ecclesias regni vestri ob reverentiam summi Regis expanditis, ad cumulum consuevistis initiatæ circa nos charitatis asciscere, ut gratiam ceteris ex vestra pietate communem, nobis facientis absque aliorum præjudicio singularem. Sic enim B piissimum pectus vestrum coelestis gratiæ opes amplificant, ut abundet in eo quod universitas hauriat; et non desit eidem, quod familiaris affectio jure proprietatis invadat. Nos ergo specialis gratiæ prærogativa gaudentes, tanto securius in necessitatibus nostris ad thronum vestrae majestatis accedimus, quanto clarioris certitudinis argumenta ex ipso dilectionis privilegio jam tenemus. Nunc ergo Clarævalli vestrae granditer vos adesse necesse est: quæ si humano præjudicio pastorem suum regnabitibus vobis amiserit, non restat ei amplius in quo considerare ultra de homine vel velit omnino, vel possit. Misimus autem nuntios nostros ad vos, qui nimirum ut fidèles inveniantur, necesse est complatum iri, quod nobis per eos de vestrae protectionis magnificencia respondistis. Nam dominus cardinalis qualiter impleverit quod promisit, inopinata mutatione tam itineris quam voluntatis ostendit. Superest igitur, ut fidei vestrae sinceritas opem nobis fraudulæ consolationis instauret, scribendo domino papæ, ut in hoc exterminium pacis nostræ neque nunc assentiat, neque in posterum cujuslibet desolatæ Ecclesiæ voces in consuetudinem nostræ turbationis admittat. Improbum namque est, et sacris legibus interdictum, ut quis cum detimento locupletetur alterius. Et nos certe pro utili electione pastoris frustra videtur studio devote orationis insistere, si ex usu contingat nostras nos lacrymas alienis potius consolationibus profundisse.

XV.

Conventus Clarævallis, ad dominum Cadorum archidiaconum. — Moleste se ferre ait, quod non potuerit ejus visitatione honorari; et mortem prioris sui nuntiat.

Digne quidem prudentia tua, sed non minus dignanter excusat, quod regalis obsequii functionibus occupatus, promissam nobis adventus tui lætiatiæ statuto exhibere tempore nequivisti. Illud tamen oportet agnoscas; quod excusatio ista non satisfacit votis, etiamsi videatur satisfecisse judiciis, eo quod charitatis affectibus non præscribit, quidquid improvidus casus quantumlibet juste necessitatis invexerit. Quid enim si non possis explicare

quod cupio? Ego tamen nequeo non amare quod amo, nec minus subinde in summam desideriorum suorum contumax flamma ferventis amoris attollitur, etiamsi superjectæ difficultatis obice reprimatur. Habet enim et hic suum non improba dilectionis improbitas, ut plerunque dum assequi cupita non possumus, quod negat impossibilitas ardenter cupiamus. De cætero vestrum est, omnimodis procurare, ut non ablatum nobis sit, sed dilatum, quod de adventu vestro pia fuerat familiaritate dispositum. Dehinc vero quod status nostri notitiam dari vobis per litteras postulatis, ex illa nimirum prodidit charitate, qua vestrum non immerito facitis, quidquid nobis pepererit vel prosperitas lætum, vel sinisteritas luctuosum. Et nos quidem et Clarævallis vestra per gratiam Dei satis prospere agimus; excepto quod novissime diebus istis non leviter nos tetigit manus Domini: quos, ut utriusque parentis orbaremur solatio, una die dira valde perculit, in abbatis absentia, mors prioris. Nos autem alterius gementes obitum, alterius redditum præstolantes (5), inter incertores et gaudia medii suspiramus: inde utique magis tristes, quod prædicti Patris adventum, quem jamdiu inaniter sustinemus, præ temere moræ sperare desimus.

XVI.

Ad religiosos in Germania constitutos. — Conventus Clarævallensis, abbatibus Germaniæ participatiōnem orationum, etc. communicat.

Sciimus, fratres, quod superniorum dona charismatum fraternali participationis communione proficiunt, et eo copiosius intra possessorum suorum mentes exuberant, quo largius in subsidia proximorum derivatione quadam traducis charitatis emanant. Inde est, quod in nostræ frateruitatis suffragia requisiti, votis vestris libenter annuimus, concedentes utique vobis perpetuum Deo in orationum nostrarum participatione consortium; ut et nos, quod oppido postulamus, communione vestrarum gratum Deo participium consequamur. Sic enim dum nostra in alterutrum bona dividimus, in amorem Dei sub vinculo pacis mentes intimas adunamus: et quod divinitus habebatur in singulis, hac unitate proficit universis. Quapropter monemus vos et exhortamur in Domino, ut jam deinceps hujus communionis intuitu ad gratiam Dei nobis et vobis pariter promerendam in divini operis ministerio studiosius vigilis, plena manu in benedictionibus seminantes, quod plena tandem fale in æternismissionibus colligatis. Expandatur in cordibus vestris justitiae suæ, ostium claudatur ineptiis, et amor sæculi, vel sæcularium potestatum divini amoris custodiæ post-pinnatur. Ipsæ quoque necessitudines naturales in affectibus vestris non præjudicent veritati; quia nec regnum Dei caro et sanguis assequitur; nec vobis utiliter expedit, ut si pro Christo sæculum

A reliquistis, Christum præ sæculo reciprocatione daunabili relinquatis.

XVII.

Ad conventum Mortuimaris. — Affictos hortatur ca exerendam virtutem, et valentiam exhibendam.

Audito surgentis fremitu tempestatis, quam contra vos et domum vestram flatus diabolicae malignitatis exagit; instamus qua possumus prece sollicita dormientem denuo suscitare Jesum, ut surgat nunc, et opituletur vobis, et in tanta vos necessitate non deserat. Speramus autem, et in ipso confidimus, quod surgens surget ventis imperaturus et fluctibus, ut fiat ex commotione tranquillitas et statuta procella turbationis hujus in auram, mitescant et sileant fluctus ejus. Vobis autem, charissimi, oportunitas inducta est exerendæ virtutis, ut quid in pace profeceritis, in persecutione monstratis: et nunc de thesauris vestris explicetis ad meritum, quidquid negotiantibus vobis venisse putatis in lucrum. Ecce enim super vos quasi picea nox caliginosæ tribulationis oppanditur; sed agite, ut nox sicut dies illuminetur, flatque nox ista illuminatio vestra in deliciis vestris, cum effulserit in obscuritate turbinis, quod olim accendistis in lumine claritatis. Sic enim scriptum est: *In die mandavit Dominus misericordiam suam et nocte canticum ejus (Psal. xli).* Quod est hoc canticum, nisi gratiarum actio et vox laudis; in quam tunc C præcipue jubemur erumpere, cum gravius contra nos mala vita præsentis erumpunt? Ad hoc canticum invitabat discipulos, qui dicebat: *Omne gaudium existimat, fratres mei, cum in variis tentationes incideritis (Jac. 1).* Et ne qua dubietas de vehementia tentationis obrepat, attendite quod alius non alio spiritu prædicavit: *Fidelis est, inquit, Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere (I Cor. x).* Vos ergo, fratres, ponite in cordibus vestris patientiam se. vare continuam: et de malitia illusoris lucrum facite charitatis. Rectas facite vias vestras, et studia vestra ad Dominum dirigantur: ut fiat in vobis, quod legitis. Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. Quis enim nocebit vobis, si boni simulatores fueritis? Perseveret in vobis disciplina Ordinis, fraternalis amor, sinceritas charitatis: et jam nulla timeatur adversitas, ubi nulla dominatur iniurias. Vivat in vobis timor Dei, sæculique contemptus, et victa sunt omnia. Nos quoque juxta quod ipsi petitis, ad dominum regem (4), aliasque personas, nuntios litterasque direximus; sperantes, quod in proximo vobis pax et tranquillitas oportune subrideat, dummodo virga disciplinæ quam geritis, nec decidat his flatibus, nec arescat.

(3) Henricus abbas tunc creatus est cardinalis.

(4) Regem Angliæ intellige.

XVIII.

Ad Batoniensem episcopum, et abbatem Forderensem.
— *Commendat causam monachorum de Fontibus.*

Pro causa fratrum nostrorum de Fontibus, quæ a dominó papa vestræ committitur pietati, vobis quidem de superfluo scribimus; cum credamus, satis superque vestris pectoribus insitum, ut judicetis in justitia pauperes, et arguatis in æquitate pro mansuetis terre. Causa quoque ipsa, sicut bene confidimus, ita sovetur beneficio juris, ut non multum debeat officio judicantis. Verum, quia sic eis visum est, visum est et nobis, ut vestram humiliiter excellentiam imploremus; quatenus intret in conspectu vestro gemitus afflictorum; nec patiamini, ut illius pauperes legibus onerentur inquis, qui humanæ dismissionis judicia statera ponderaturus est æquitatis. Veniet, veniet dies illa, quidquid interim Christi pauperes patientur, quando stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiarunt et qui abstulerunt labores eorum. Perhibemus autem et nos testimonium veritati, quod vir venerabilis D. Philippus, cuius verbo dominus Eboracensis videtur inniti, tanquam ille ex parte conventus et causæ abrenuntiaverit et querelæ, contra omnino asserit et testatur, hoc solum se dixisse commemorans, expedire magis eis misericordiam sui et patroni et pontificis exspectare, quam cum eo sub dubiæ litis marte contendere. Quocirca rogamus vos et obsecramus in Christo Jesu, ut quemadmodum accepistis a domino papa, quomodo vos oporteat ambulare, et in causæ examinatione procedere, ita Patres, agere studeatis, et commissum

A vobis negotium juxta mera causæ merita diffinire. Scitis enim, quam periculosum sit deferre personæ si exinde contingat aliquid deperire justitiae.

XIX.

Ad Albanensem et Prænestinum episc. — *Rogat, ut eorum malefactores coercentur.*

Cur eos disjungat vel apex unus in litteris, qui uno junguntur apice dignitatis: vel cur diversitas quæratur in chartulis, ubi simplex viget unitas charitatis? Duobus ergo vobis scribimus, tanquam uni; quia dum iu uno quolibet suscipimus alterum, singularem affectum colimus in pluralitate duorum. Domesticus vobis est Ecclesiæ nostræ status, a quibus non peregrinatur affectus. Posita est, ut scitis, inter gentes indomitas, et Gallica fortitudine contumaces; que dum sua per intemperantiam prodigunt, aliena per violentiam diripiunt et prædantur. Ideoque mediante sollicitudine vestra rescriptum nobis pelinus sedis apostolicæ prorogari: quo archiepiscopis et episcopis terræ nostræ generalis mandati statuatur auctoritas, ut de malefactoribus nostris plenam nobis justitiam faciant, nec in eos aliqua postmodum absolutio prodeat, si digna satisfactio non præcedat. Cessent a sacri participatione mysterii villæ, oppida, civitates, quandiu ibi B. Remigii præda constiterit; ut proveniat nobis rerum indemnitas amotarum, dum illis interdictur sollemnitas divinorum. Ilæc interim per vos, et quidem magna depositimus; in quibus si nobis dilectio vestra responderit, sicut, ut cum oportuerit, majora poscamus.

ANNO DOMINI MCLXXXVII

AIMERICI PATRIARCHÆ ANTIOCHENI ET TERRICI TEMPLARIORUM MAGNI PRÆCEPTORIS EPISTOLÆ

I.

Aimerici patriarchæ Antiocheni ad Ludovicum regem Francorum. — Relata Turcorum in Christianos victoria, ipsis implorat auxilium.

(MARTEN., Ampliss. Collect., I, 870.)
Anno ab Incarnat. Domini 1164 missa est hæc

D epistola a patriarcha Antiochiae regi Francorum Ludovico, ita se habens.

AMERICUS Dei gratia sanctæ sedis apostolicæ Antiochiae patriarcha Ludovico, regi Francorum illustri, salutem et patriarchalem benedictionem.
Regiae majestati decebat nos semper lata scri-